A. M.		A. Chr.
	Peracto Ægyptiaco bello, Cæſar in Syriam veniens, Hircano Summi Sacerdotis jus aſſerit.	
	Antigonum filium Ariſtobuli de nece patris & fratris ſui apud Cæſarem querentem Cæſar, ab Antipatro occupatus, negligit.	
	Antipater ſegnioris Hircani animi occaſione captatâ, Phaſaelo filio ſuo natu majori Urbis, Herodi verò, alteri filio, Galilææ præfecturam committit.	
3958	Herodes ad Tribunal Jeroſolymitanum delatus de Provincia male adminiſtratâ mox damnandum ſe intelligens, in Provinciam ſecedit.	42
	Hillel, & Sammeas, celebres Rabbini florent. Sammeas Hillelem diſcipulum habuit. Jonathas filius Uzielis, Paraphraſum Chaldaicarum author, Hillelem audivit. Sammeas, Pollionem audivit, authore Joſepho. Akiba Sammeæ, & Hilleli in ſcholis Hebraicis, ſi S. Hieronymo fides, ſucceſſit.	
3959	Hircanus Legatos ad Julium Cæſarem, innovando cum Romanis fœderi, mittit. Initum eſt autem felicibus fauſtiſque pro Judæis conditionibus.	41
3960	Poſt obitum Julii Cæſaris, Legati Judæorum in Senatum introducti, poſtulata omnia facilè impetrant.	40
	Judæis Aſiaticis vetus privilegium aſſeritur, ne ad bellum unquam cogantur.	
3961	Caſſius 700. talenta à Judæis poſtulat.	39
	Malichus propinato veneno Antipatrum ſuſtulit.	
	Herodes, occiſo Malicho, ultionem de nece patris ſui expedit.	
3962	Felix Phaſaelum aggreditur; ſed mox ab illo in turri clauditur, unde nonniſi compoſitis rebus liber abire permittitur.	38
3963	Antigonus ſecundus, filius Ariſtobuli, coactis copiis in Judæam ingreditur.	37
	Sed Herodes, antequam in Provinciam penetret, promptè accurrens, prælio inito illum diſſipat.	
	M. Antonius in Bithyniam veniens, Judæos nonnullos, Herodem, & Phaſaelum accuſantes, audit; ſed Herodes mox ad illum ſe conferens, ita in ſe animum illius inclinat, ut accuſatores retundat.	
	M. Antonius, Epheſum veniens, Judæos captivos à Caſſio abductos, liberos pronunciat, & agrum Judæis per injuriam ablatum reſtitui jubet.	
	Cum Antiochiam veniſſet, Judæorum Optimates, Herodem, & Phaſaelum accuſantes, offendit; ſed iis auditis, utroſque fratres Judæorum Tetrarchas pronunciat.	
	Facta deinde ad illum Judæorum legatio, 1000. viris totius gentis ampliſſimis conſtans, qui Tyrum ad Antonium ſe conferentes, nihil tamen ab illo impetrant.	
3964	Antigonus, filius Ariſtobuli, Parthorum armis Judææ regnum occupare molitur. Parthi Hircanum, & Phaſaelum captivos detinent, & in Antigoni poteſtatem tradunt. Quare Phaſaelus adacto in parietem capite, ſibi necem conſciſcit; Hircanum verò, utrâque aure ab Antigono mutilatum, in Tranſeuphratæa deducunt.	36
	Herodes dilabi Jeroſolymâ coactus, Romam ad impetrandum ab Antonio auxilium contendit. Judææ Regnum à Senatu impetrat, acceptiſque ab Antonio ad Præfectos Syriæ literis, ut ſibi in recipiendo Regno faveant, in Judæam regreditur.	
3965	Primo impetu Joppem occupat, deinde Maſſadam ad ſolvendum ab obſidione Antigoni Joſephum fratrem ſuum contendit. Poſt liberatam ab obſidione Maſſadam, in Jeruſalem movet; ſed hyeme jam procedente, ab inſtituenda obſidione deterretur.	35
	Prædones in antris Galilææ ſe continentes exterminat.	
	Machæra Romanorum Dux, unà & Joſephus frater Herodis, juncta ſimul arma in Antigonum inferunt; cum interim Herodes auxiliares copias ad Antonium Samoſatam obſidentem duceret.	
3966	Poſt captam Samoſatam, Soſius unà & Herodes ad Judæam debellandam ab Antonio mittuntur.	34
3667	Poſt varias pugnas, Herodes tandem exercitum Jeroſolymæ applicat.	
	Urbs capitur, & Antigonus in fidem Soſii ſe ſe tradit, cui idem Soſius inſultans *Antigonam* pro *Antigono* appellat.	33
	Antigonus captivus Antiochiam deductus, Antonii juſſu capite damnatur.	
3968	Hircanus humaniſſimè à Rege Parthorum exceptus, redeundi in Judæam facultatem impetrat.	32
	Cùm autem Summo Sacerdotio præſtando impar eſſet, Ananelus Sacris ab Herode præficitur.	
3969	Alexandra mater Mariamnes, & Ariſtobuli, Supremum Sacerdotium Ariſtobulo impetrat.	31
3970	Herodes natantem Ariſtobulum poſt annuum Sacerdotium demergi curat.	30

A. M.		A Chr.
	Accuſatus verò eâ de re apud Antonium, coram illo appellatur.	
	Bellum Herodis in Arabes.	27
3973	Ingens terræmotus Judæam concutit.	
3973	Prælium ad Actium, in quo Auguſtus inſignem de M. Antonio victoriam refert.	27
	Hircanum meditantem ad Regem Arabum ſe recipere, Herodes interficit.	
3974	Romam ad Auguſtum contendit, à quo in Regno Judææ aſſeritur.	26
3975	Auguſtus, in Syriam veniens, per Palæſtinam tranſit, ſummo honore ab Herode exceptus.	25
3976	Herodes uxorem ſuam Mariamnem filiam Alexandræ interficit.	24
3978	Salome ſoror Herodis Coſtobarum repudiat.	22
3979	Fames & peſtis in Judæâ graſſantur.	21
3982	Herodes variis ſuſceptis ædificiis, Judæorum religionem offendit. Cæſaream Palæſtinæ condit.	18
3983	Agrippam Auguſti amicum in Aſiam venientem Herodes inviſit.	17
3984	Auguſtus Trachonitidem Herodi donat.	16
3985	Herodes Templi Jeroſolymitani à fundamentis novam fabricam ſuſcipit.	15
3688	Romam ad obſequium Auguſto præſtandum contendit.	12
3989	Duorum filiorum Alexandri, & Ariſtobuli nuptias celebrat.	11
3990	Herodes Agrippam in itinere aſſecutus, Jeroſolymam deducit.	10
3991	Domeſticæ ſimultates Herodis domum turbant. Salome, Pheroras, & Antipater in Alexandrum, & Ariſtobulum animantur.	9
3993	Herodes, Romam tendens, ipſe per ſe accuſationem coram Auguſto in Alexandrum, & Ariſtobulum inſtituit.	7
3994	Solemnis dedicatio novæ Urbis Cæſareæ, quam Herodes in Auguſti honorem condiderat.	6
3995	Auguſtus Judæis Alexandrinis vetera jura, & privilegia aſſerit.	5
	Herodes eruendis, uti ferunt, reconditis theſauris, Davidis tumulum ſuffodit.	
3996	Novæ turbæ in domo Herodis.	4
	Archelaus Rex Cappadociæ, Alexandrum generum ſuum Herodi conciliat.	
	Archelaus unà cum Herode Romam contendit.	
3997	Herodes expeditionem in Arabes ſuſcipit.	3
3998	Herodes coram Auguſto defertur, quòd Arabes quamplurimos trucidarit.	2
	Angelus S. Zachariæ ſpectandum ſe præbet. S. Joannes Baptiſta concipitur.	
3999	Annunciatio Incarnationis Filii Dei Beatæ Virgini Mariæ.	1
	Herodes ultimo ſupplicio duos filios Alexandrum, & Ariſtobulum damnari curat.	
	Antipater filius Herodis Regnum affectat.	
	Herodes Antipatrum Romam mittit.	
	Mala Antipatri conſilia, atque artes deprehenduntur.	
	S. Joannes Baptiſta, ſex ante ortum Chriſtum menſibus, naſcitur.	
4000	Jeſus Chriſtus die 25. Decembris naſcitur.	*A. Chr.* 1. *ante Ær.* 4.
4001	Die primâ Januarii circumciſione initiatur.	*Ante Ær.* 3.
	Antipater, Româ regreſſus, meditati in Herodem veneni accuſatur, & convincitur.	
	Magi ad obſequium Chriſto præſtandum veniunt.	
	Purificatio SS. Virginis. Jeſus die 2. Februarii, poſt 40. dies à nativitate, in Templo ſiſtitur.	
	Fuga in Ægyptum.	
	Infantes Bethleemitici occiduntur.	
	Antipater juſſu Herodis interficitur.	
	Herodes poſt quinque dies à nece Antipatri moritur.	
	Archelaus ſupremis Herodis tabulis Rex Judææ renunciatur.	
	Jeſus Chriſtus ex Ægypto reducitur. In Nazareth à parentibus enutritur.	
	Archelaus Romam ad Auguſtum ſe confert, ut Herodis ſupremæ tabulæ ejus authoritate ſibi confirmentur.	
	Seditio Judæorum, quos tamen Varus in ordinem redigit.	
	Archelaus Regni paterni portione obtentâ, una cum Tetrarchæ titulo, in Judæam regreditur.	
	Impoſtor quidam Alexandri filii Herodis è Marianne perſonam induit,	
4002	Archelaus, remoto à Summo Sacerdotio Joazaro, Eleazarum Sacris præficit.	2. *Ante Ær.* 1.
4009	Archelaus Viennæ Galliæ exulare cogitur.	9. *Ær.* 6.
4010	Cenſus Syyriæ à Cirenio indictus.	10. *Ær.* 7.
	Seditio Judæ Gaulonitæ authoris Herodianorum.	
4012	Jeſus Chriſtus 12. annis natus, ad Templum Jeroſolymitanum ſe conferens, triduo ibi, inſciis parentibus, manet.	12. *Ær.* 9.

A. M.		A. Chr.
4013	M. Ambivius Judææ Præfecturam obtinet,	13. Ær. 10.
4017	Auguſtus Imperator moritur.	17. Ær. 14.
4023	Judæos, atque ſuperſtitiones Ægyptiacas profitentes, omnes Tiberius è totâ Italiâ extorres agit.	23. Ær. 20.
4031	Pilatus Judææ preficitur.	31. Ær.
	Signa, & Imagines Romanas invehere in Jeruſalem tentans, Judæos ſibi reſiſtentes experitur.	28.
4032	S. Joannes Baptiſta prædicationis munus auſpicatur.	32. Ær. 29.
4033	Jeſus Chriſtus baptiſmo S. Joannis Baptiſtæ tingitur.	33. Ær.
	In deſertum ſecedit.	30.
	Poſt 40. dies ad S. Joannem regreditur. Andræam, Simonem, Philippum, & Nathanaelem accerſit.	
	Canæ nuptiis intereſt, ubi aquam in vinum tranſmutat.	
	Capharnaum primò, deinde Jeroſolymam contendit, ubi PRIMUM PASCHA poſt baptiſmum celebrat. Paſcha eo anno in diem 15. Aprilis incidebat.	
	Nicodemus noctu Jeſum convenit.	
	Jeſus ad Jordanem ſe conferens, ibi baptizat.	
	Herodes Antipas uxorem Philippi fratris ſui, adhuc ſuperſtitis, ſibi matrimonio jungit.	
	Joannes Baptiſta liberiùs inceſtum illum reprehendens, in carcerem detruditur.	
	Jeſus in Galilæam ſe recipit, ubi Samaritanam fœminam, alioſque Samaritanos in Sichem ad fidem deducit.	
	In Nazareth fidem annunciat, dein Urbe relictâ, ſedem ſibi Capharnaum conſtituit.	
	Simon, Andreas, Jacobus, Joannes ad Apoſtolatum vocantur.	
	Variis prodigiis claret.	
	S. Matthæus vocatur.	
4034	SECUNDUM PASCHA Jeſu Chriſti poſt receptum baptiſmum, & inſtitutam prædicationem.	34. Ær. 31.
	Paralyticum die Sabbati valetudini reſtituit.	
	Judæi perdendi Jeſum Chriſtum conſilium capiunt.	
	Jeſus Chriſtus varia Chriſtianæ religionis officia pro concione in monte exponit.	
	Joannes Baptiſta in carcere detentus, legationem ad Chriſtum mittit, an Meſſias eſſet, quæſiturus.	
4035	Apoſtoli per diverſa Judææ loca mittuntur.	35. Ær.
	S. Joannes Baptiſta, juſſu Herodis, inſtigante Herodiade, interficitur.	32.
	Jeſus Chriſtus quinque tantùm panibus, & duobus piſcibus 5000. hominum paſcit. Populum autem ſibi regnum deferentem declinat.	
	TERTIUM PASCHA Jeſu Chriſti à baptiſmo.	
	Judæam, & Galilæam percurrens, prædicationibus ubique, & prodigiis claret.	
	Transfiguratio Jeſu Chriſti.	
	Septuaginta Diſcipuli in varia loca mittuntur.	
	Jeſus Chriſtus ad Feſtum Pentecoſtes celebrandum Jeroſolymam ſe confert.	
	Suadentibus cognatis ipſius, ut Feſto Tabernaculorum adeſſet, reſpondet, horam ſuam nondum veniſſe. Cæterùm circa Feſti dimidium, nempe quartâ circiter die hebdomadæ ſolemnis, eò ſe confert.	
4036	Ineunte A. Chr. 36. Lazarus morbo correptus, occumbit. Jeſus è tranſjordanis veniens, amicum ad vitam revocat.	36. Ær. 33.
	Evitandis inſidiis, & malis Judæorum Jeroſolymæ in ſe conſiliis, Jeſus in Ephrem ad Jordanem confugit.	
	Jeruſalem ſe confert ad ULTIMUM PASCHA, quod ſibi in vitâ mortali maneret.	
	Die Dominicâ 29. Martii, & 9. Niſan, Bethaniam veniens, apud Simonem Leproſum convivio excipitur.	
	Mane alterius diei 30. Martii, Jeroſolymam triumphantis habitu ingreditur.	
	Die Martii 31. feriâ ſecundâ, iterum Jeroſolymam ſe conferens, inter eundum ſterilem ficum nactus, maledictione arborem perimit.	
	Die Mercurii 1. Aprilis, Sacerdotes, & Scribæ de ratione Jeſum capiendi deliberant.	
	Succedenti die, 2. Aprilis, Jeſus ad montem Olivarum tranſiens, ire jubet Petrum, & Joannem ad Urbem, quæ neceſſaria eſſent Paſchali convivios, inſtruendis.	
	Veſpere ejus diei in Urbem ingreſſus, ſupremo convivio cum Apoſtolis cœ-	

A. M.		A. Chr.
	cœnans, Euchariſtiam inſtituit. Dein ad hortum in monte Olivarum unà cum illis omnibus ſe confert, quò etiam Judas datas ſibi à Principibus Sacerdotum cohortes ducit.	
	Jeſus ad Annam eâdem nocte deducitur; Annam ſcilicet Socerum Caiphæ Summi Sacerdotis.	
	Mane diei Veneris, 3. Aprilis, & 14 Niſan, ad Pilatum adductus accuſatur, damnatur, & in crucem in monte Calvarii agitur.	
	Sub veſperam, antequam requies Sabbati iniret, è Cruce depoſitus, & balſamo conditus, tumulo infertur.	
	Sacerdotes ſuo ſigillo, atque appoſitis cuſtodibus ſepulchrum muniunt.	
	Totâ nocte diei Veneris, totoque Sabbato, atque parte noctis ſuccedentis, Chriſtus in ſepulchro jacet.	
	Mane diei Dominicæ è mortuis reſurgit.	
	Mulieres religioſæ, quæ ad ſepulchrum venerant, de Reſurrectione ab Angelo certiores fiunt.	
	Jeſus Chriſtus ipſe ſe videndum præbet, 1. Mariæ Magdalenæ ſub hortulani ſpecie, 2. cæteris piis fœminis à ſepulchro regredientibus. 3. Petro. 4. Diſcipulis euntibus Emmaum, 5. omnibus Apoſtolis in cœnaculo Jeroſolymitano congregatis, abſente tamen S. Thomâ. Hæc eâdem Reſurrectionis die Dominicâ contigerunt.	
	Octo poſt dies, Diſcipulis eodem in loco ſpectandum ſe præbet, atque ſui ipſius argumentum certum Thomæ exhibet. Secundùm hæc, Apoſtoli in Galilæam regreſſi, non ſemel Jeſum vident.	
	Poſt exactos 28. dies in Galilæâ, Apoſtoli iterum Jeroſolymam ſe reſtituunt.	
	Menſæ aſſidentibus die 14. Maji ejuſdem anni, Jeſus ſpectandum ſe præbens, omnes ſecum extra Urbem ad montem Olivarum adducit, ibique, illis ſpectantibus, quadrageſimo à reſurrectione die, in Cœlum aſcendit.	
	Decem poſt dies, celebritate Pentecoſtes recurrente, miſſus à Jeſu Spiritus Sanctus in igneis linguis ſupra ſingulos ſedet.	
4037	Septem Diaconi ſeliguntur.	37. Ær.
	Martyrium Sancti Stephani.	34.
	Saulus, ſive Paulus Eccleſiam inſectatur, deinde ad Fidem adducitur.	
	Pilatus de morte Jeſu Chriſti Tiberium per literas certiorem facit.	
	S. Jacobo minori Jeroſolymæ Epiſcopatus defertur.	
	S. Philippus Diaconus Eunuchum Reginæ Candacis baptiſmate initiat.	
	Apoſtoli per omnem latè terram diſperguntur.	
4038	Junior Agrippa ære alieno in Judæâ oppreſſus, iter Romanum ſtatuit.	38. Ær. 35.
4039	Romam veniens, partibus Caji, qui deinde ad Imperium evectus eſt, favet.	39. Ær. 36.
4040	A' Tiberii favore excidens, in vincula conjicitur.	40. Ær.
	Pilatus in Italiam revocatur.	37.
	Tiberio vitâ functo, C. Caligula regnat.	
	Agrippa in libertatem reſtitutus, ſummis honoribus cumulatur.	
	Apollonius Thyanæus labente Tiberii regno claret.	
	Circa idem tempus, S. Petrus Antiochiam veniſſe creditur.	
4041	S. Paulus è Damaſco ſe recipere coactus, in ſportâ per muros Urbis demittitur.	41. Ær. 38.
	Jeroſolymam veniens, à Barnabâ ad Apoſtolos, cæteroſque Diſcipulos deducitur.	
	Tharſum Ciliciæ patriam ſuam contendit.	
	Agrippa junior, impetratâ à Caligulâ Tetrarchiâ Philippi patrui ſui, Judæam repetit; atque Alexandriâ tranſiens, à civibus ludibrio habetur.	
	Seditio Alexandrinorum in Judæos, in inſtigante Flacco.	
4042	Flaccus comprehenſus, Romam mittitur; atque inde juſſu Tiberii Caligulæ exilio damnatur.	42. Ær. 39.
	Herodes Tetrarcha ab Imperatore aliqua pro ſe impetraturus, Romam petit; ſed Caligula ab Agrippa jam præoccupatus, virum Lugdunum proſcribit.	
4043	Caligula Petronium mandatis onerat, ut ſimulacrum ſuum in Templo Jeroſolymitano conſtituat; ne tamen quantocyùs Imperatoris juſſa executioni mandentur, Judæi à Petronio dilationem impetrant.	43. Ær. 40.
4044	Agrippa ab eodem conſilio Imperatorem removere conatur, ac tandem ingentis beneficii loco impetrat, ne ſtatua in Templo collocetur.	44. Ær. 41.
	Philo Judæus pro Judæis Alexandrinis Legatione apud Caligulam fungitur.	
	Coram Imperatore introductus, in ultimum vitæ diſcrimen venit.	

Hi-